STUDIA HERODOTEA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE ROSTOCHIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

IOHANNES W. H. MACLAREN

OXONIENSIS

Oxonii

EXCUDEBAT HORATIUS HART

ACADEMIAE TYPOGRAPHUS

M DCCC LXXXVIII

STUDIA HERODOTEA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE ROSTOCHIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

IOHANNES W. H. MACLAREN

OXONIENSIS

Oxonii

EXCUDEBAT HORATIUS HART

ACADEMIAE TYPOGRAPHUS

M DCCC LXXXVIII

Referent: Prof. Leo.

PRAEFATIO.

In hac dissertatione quasdam notiones exquirere et investigare institui, quae, opinor, in mente Herodoti eo tempore inhaeserunt, quo historiam de bellis Persicis scripsit. Ipse quidem auctor narrat causam ultimam belli ultionem fuisse; credo autem neminem historiam totam diligenter et studiose legere posse, quin opinetur causas alias majores apud Herodotum latere, et praeterea hoc certamen non solum inter duas nationes duellum sed etiam sub formis variis nondum satis cognitis se praebuisse.

Itaque conabor hanc sententiam meam exponere tres formas belli ab Herodoto exhibitas esse:

(1) Monarchiae immoderatae certamen cum liberâ republicâ.

(2) Imperii infiniti cum libertate.

(3) Religionis naturâ elementis exstructae cum Polytheismo anthropomorphico (ἀνθρωποφυεῖ)—sit venia verbis!

Ut igitur funditus quaeram, quatenus ex auctoris ipsissimis verbis hae notiones extrahi possint, et quatenus rectae aut falsae sint, necesse est his quaestionibus responsum reddam:

(1) Quot et quanti fuerint fines Persarum Monarcho?

(2) Persaene ad infinitum imperium spectaverint?

(3) Quae vera religio fuerit Persarum?

Quibus responsa ex Herodoti historia extrahere conabor.

Verum est tot scriptores Herodoti opera iam investigasse et res Persicas elaborasse (e.g. Ctesiam, Xenophontem, Arrianum, Heerenum, Niebuhrum, Dunckerum, Grotum, Thirlwallum,

Rawlinsonem[1] et cet.) ut totum annum in legendis eorum libris triverim; sed haud minus credendum est nos rei tam remotae obscuraeque aliquid lucis afferre posse, quoties opera scriptoris Halicarnassi nati exploremus; cujus lucis egomet si partem quantulam cunque afferam, abibo contentus.

[1] Anno 1858 promulgata sunt opera Herodoti cum commentario a Rawlinsone viro clarissimo, qui sententiam novam in inscriptione Bisutunensi nitentem de Persica religione exposuit. Quare mihi visum est hanc quaestionem (sub capite iii) intra fines Herodoti verborum non continere, sed per externas etiam auctoritates rationem huius cultus expetere.

CAPUT PRIMUM.

MONARCHIAE ABSOLUTAE CUM LIBERÂ REPUBLICÂ CERTAMEN.

NOTIO inhaerens monarchiae absolutae postulat duas conditiones:

1. *vitam bonaque subjectorum esse in manu Monarchi.*
2. *hereditatem imperii jure transmittendam esse.*

Conabor arguere verbis Herodoti exscribendis primum, imaginem huius monarchiae absolutae in Herodoti mente fuisse, deinde, eius verba demonstrare, imaginem non omnino veram esse.

Potestas Monarchi.

Me non oportet per singulas consuetudines et singula instituta Persarum ire, quae tot scriptores ex Herodoti narratione collegerunt, et quae omnia ad splendorem regis et regiae spectant; sed satis est nonnulla ex exemplis talibus proferre, qualia adulationem immodicam testantur. De hoc splendore Max Duncker talia exclamat: 'In diesen starken Leistungen für den Hof, den Harem und die Höflinge tritt der Character des despotischen Staatswesens scharf hervor. Der Fürst ist der Staat selbst und der letzte Zweck desselben kein anderer als der Glanz und die Befriedigung des Herrschers.' Apparatum et comitatum Xerxis, cum Sardes relinqueret, magnificentissimum fuisse testatur Herodotus (vii. 41); tus ante currum ejus fragrantes odores emisisse, et viam ramis myrteis stratam esse (vii. 54); praeterea nemini licuisse nisi in pulvere dejecto, regis vultum aspicere (i. 134); et si quis nuntio non praemisso regiam iniisset, rem capitalem egisse (iii. 109–111). 'Nicht bloss der Glanz und die Grösse der Paläste war es,' inquit Duncker, 'durch welche

Darius und die Könige Persiens nach ihm die Macht und die Majestät ihrer Herrschaft verherrlichten und in das hellste Licht stellten, auch der Prunk der Hofhaltung, das prachtvolle Auftreten des Herrschers selbst und ein strenges Ceremoniell machte den Unterschied des Herrschers und der Unterthanen, die gebietende Hoheit des einen, die Niedrigkeit und den unterwürfigen Gehorsam des andern in den schärfsten Formen bemerkbar.'

Exempla autem alia collegi quae potestatem hanc immodicam melius demonstrant.

α. *Herod.* iii. 30. Πέμπει Πρηξάσπεα ἐς Πέρσας ἀποκτενέοντά μιν. Ὁ δὲ ἀναβὰς ἐς Σοῦσα ἀπέκτεινε Σμέρδιν· Hoc scilicet fecit Cambyses propter somnium quoddam.

β. *Herod.* iii. 32. Ἕλληνες μὲν δὴ διὰ τοῦτο τὸ ἔπος φασὶ αὐτὴν ἀπολέσθαι ὑπὸ Καμβύσεω, id est, quod de morte Smerdios questa esset.

γ. *Herod.* iii. 35. Τότε μὲν ταῦτα (Cambyses enim, crudelitate inaudita motus, filium Prexaspidis sagitta transfixerat) ἐξεργάσατο· ἑτέρωθι δὲ Περσέων, ὁμοῖα τοῖσι πρώτοισι, δώδεκα ἐπ' οὐδεμιῇ αἰτίῃ ἀξιόχρεῳ ἑλὼν, ζώοντας ἐπὶ κεφαλὴν κατώρυξε.

δ. *Herod.* ix. 112. Ἡ Ἄμηστρις μεταπεμψαμένη τοὺς δορυφόρους τοῦ Ξέρξεω, διαλυμαίνεται τὴν γυναῖκα τὴν Μασίστεω· τούς τε μαζοὺς ἀποταμοῦσα κυσὶ προέβαλε, καὶ ῥῖνα, καὶ ὦτα, κ.τ.λ.

ε. *Herod.* vii. 35. Ἐνετέλλετο τῶν ἐπεστεώτων τῇ ζεύξι τοῦ Ἑλλησπόντου ἀποταμεῖν τὰς κεφαλάς. (Tempestas atrox pontem Abydi perfregerat.)

ζ. *Herod.* iv. 166. Αἰτίην οἱ ἄλλην ἐπενείκας, ὥς οἱ ἐπανιστέαιτο, ἀπέκτεινε (de Argande).

Herod. iv. 84. Oeobazus oraverat, ut Darius unum e tribus filiis (qui in eo bello stipendia merebant) sibi traderet, qui domi maneret; cui Darius respondit, se omnes domi relicturum esse. Ὁ δὲ ἐκέλευσε τοὺς ἐπεστεῶτας ἀποκτεῖναι πάντας τοὺς Οἰοβάζου παῖδας. Καὶ οὗτοι μὲν ἀποσφαγέντες, αὐτοῦ ταύτῃ ἐλίποντο.

Itaque, ut exposui, Herodotus ipse satis argumentorum praestat, neque opus est nobis Xenophonte aut Ctesia aut

Plutarcho ut potestatem absolutam Monarchi confirmet. Immo vero asseverat Persas legem quamdam invenisse, 'regi Persarum, quidcumque vellet, facere licere.' (iii. 31.)

Hereditas rite conservabatur.

Non dubitandum est quin hereditate tali opus sit, ut imperium in fundamento solido nitatur. Quaerimus igitur num hic mos apud Persas valuerit; neque nobis negandum est, quin Herodotus morem hunc cognoverit, quippe qui scripserit (iii. 2) *οὐ μὴν οὐδὲ λέληθε αὐτούς, ὅτι πρῶτα μὲν νόθον οὔ σφι νόμος ἐστὶ βασιλεῦσαι, γνησίου παρέοντος.* Scimus etiam ex historia Persica legitimos filios, quoties superessent imperium suscepisse.

Quaestiones igitur duae tractandae sunt:

(1) Num fuerint instituta, quae potestatem imperatoris absolutam intra fines retinerent; et, num haec instituta ex Herodoti verbis extrahere possimus.

(2) Num in Persia impedimenta hereditati inveniri possint.

Primam igitur quaestionem exploremus. Libertas imperatoris, ut fere fit, externis modis minuitur.

I A.—*In regia ipsa.* (*a*) *De Potestate Reginae.*

De *Cassandane*, Cyri uxore, haud satis narrat Herodotus, ut affirmare audeamus eam auctoritatem magnam apud Cyrum habuisse, cognoscimus enim Cyrum Cassandanem neglexisse Nitetidis causa, atque mortuam valde ploravisse.

Quum primum autem Darius *Atossam* duxisset, exorta est potestas reginae, et ad extremum crescebat. Atossa quidem haud minus nobili sanguine fuit quam Darius, nam illi fuit Cyrus pater, qui Achaemenem progenitorem rectâ lineâ referebat; Darius autem Hystaspis filius non progeniem ab Achaemene rectâ lineâ protulit; inde satis credibile est, Darium imperium jure et auctoritate Atossae accepisse, quum nulli filii Cyro essent. Quanquam Darius nonnullas uxores duxit (iii. 88, *γάμους τε τοὺς πρώτους ἐγάμεε Πέρσῃσι ὁ Δαρεῖος, Κύρου μὲν δύο θυγατέρας, Ἄτοσσάν τε καὶ Ἀρτυστώνην· ἑτέρην δὲ Σμέρδιος τοῦ Κύρου θυγατέρα ἔγημε, τῇ οὔνομα ἦν Πάρμυς*) verisimile est reginam unam fuisse. Hic enim mos est

Gynaecei, et plane apud Persas valebat. Haec dignitas igitur Atossae jure sanguinis debebatur; cujus id documentum est, quod Atossae nomen primum inter uxorum nomina (supra memorata) stat. Ad id quidem pervenit hujus reginae auctoritas, ut Herodotus (vii. 3) ad dicendum induceretur; *ἡ γὰρ Ἄτοσσα εἶχε τὸ πᾶν κράτος.*

Amestris etiam, quam Xerxes duxit, auctoritate summa usa esse videtur. Narrationem Herodoti de horribili Xerxis amore uxoris Masistis et de ultione Amestridis non necesse est hic referam; arguit tamen narratio hos Xerxis domesticos mores et demonstrat quanta auctoritate Amestris uti solita sit. Ad haec accedunt Herodoti (vii. 114) verba, *Ἄμηστριν, τὴν Ξέρξεω γυναῖκα, πυνθάνομαι ἑπτὰ Περσέων παῖδας κατορύσσουσαν.*

Exempla quae rettuli satis demonstrant, quantum reginae illa aetate florentes arbitrium imperatoris impediverint.

(β) *De auctoritate Eunuchorum.*

Eunuchorum officiis ibi maxime opus est, qua feminae apud regiam valent. De iis, quae de auctoritate eorum intelleximus, maxime nos certiores fecit Ctesias, qui narrat fere omnes reges Persarum ab Eunuchis saepissime gubernari solitos esse; neque dubitare possumus, quin haec vis Eunuchorum adfuerit more Medico quodam, quem Persae assumpsissent. Herodotus narrat Lydos iis usos esse (iii. 48): *Κερκυραίων γὰρ παῖδας τριηκοσίους ἀνδρῶν τῶν πρώτων Περίανδρος ὁ Κυψέλου ἐς Σάρδις ἀπέπεμψε παρὰ Ἀλυάττεα ἐπ' ἐκτομῇ.* Ctesias praeterea affirmat auctoritatem Eunuchorum plurimum sub Xerxe polluisse, sed Herodotus ipse auctoritatem illam ante Darii regnum valuisse cognovit, id quod ex lib. iii. 77 colligimus: *ἐπεί τε δὲ παρῆλθον ἐς τὴν αὐλὴν, ἐνέκυρσαν τοῖσι τὰς ἀγγελίας ἐσφέρουσι εὐνούχοισι, οἵ σφεας ἱστόρεον ὅτι θέλοντες ἥκοιεν· καὶ ἅμα ἱστορέοντες τούτους, τοῖσι πυλουροῖσι ἀπείλεον, ὅτι σφεας παρῆκαν· ἴσχον τε βουλομένους τοὺς ἑπτὰ ἐς τὸ πρόσω παριέναι.*

I B.—*Extra regiam.* (a) *De judicibus regalibus.*

Vide Herod. iii. 31, *ἠράσθη μιῆς τῶν ἀδελφεῶν Καμβύσης, καὶ ἔπειτα βουλόμενος αὐτὴν γῆμαι, ὅτι οὐκ ἐωθότα ἐπενόεε*

ποιήσειν, εἴρετο καλέσας τοὺς βασιληΐους δικαστὰς, εἴ τίς ἐστι κελεύων νόμος τὸν βουλόμενον ἀδελφεῇ συνοικέειν. Οἱ δὲ βασιλήϊοι δικασταὶ κεκριμένοι ἄνδρες γίνονται Περσέων, ἐς οὗ ἀποθάνωσι, ἤ σφι παρευρεθῇ τι ἄδικον, μέχρι τούτου. Οὗτοι δὲ τοῖσι Πέρσῃσι δίκας δικάζουσι, καὶ ἐξηγηταὶ τῶν πατρίων θεσμῶν γίνονται, καὶ πάντα ἐς τούτους ἀνακέαται. Hic est locus quasi-classicus de judicibus regalibus Persicis; et notandum est Herodotum iis certa et gravia officia ascripsisse. Affirmat enim

(1) officium per vitam exercere, nisi quid peccaverit.
(2) jus per Persiam dicere.
(3) leges antiquas (*τοὺς πατρίους θεσμούς*) explicare.
(4) ad eos ultimam appellationem esse.

Haec officia vero tantum ad populum pertinent, etsi auctoritatem gravem demonstrant; et si quaeramus quatenus ea ad regem pertineant, narrationem totam Herodoti de amore incesto Cambysis necesse est tractemus. Cambyses, amore sororis suae captus, non audebat eam ducere, donec judices regales rite consulti permitterent; scivit enim *ὅτι οὐκ ἐώθοτα ἐπενόεε ποιήσειν.* Unde hoc *παράδοξον* concludo (1) Regi ipsi necesse fuisse legi parere: et judices regales, quippe qui legis interpretes essent, modum quemdam potestati regis imponere potuisse. (2) Immodicam regis potestatem hoc in loco maxime manifestam esse. Nam plana est opinio Herodoti regem poenam forsitan capturum esse, nisi leges interpretarentur quomodo ipse vellet; *ἵνα τε μὴ αὐτοὶ ἀπόλωνται τοῦ νόμου περιστέλλοντες παρέξευρον ἄλλον νόμον·* quae lex potestatem absolutam regis ascripsit, *τῷ βασιλεύοντι Περσέων ἐξεῖναι ποιεῖν τὸ ἂν βούληται.* De constitutione judicum regalium cognoscimus etiam eos summam poenam dedisse, si peccavissent. Dicitur Cambyses (v. 25) quemdam interfectum deglupsisse *ὅτι ἐπὶ χρήμασι δίκην ἄδικον ἐδίκασε.* Praeterea apud vii. 194 sunt eadem verba de Sandoce, quem cruci suffixerat Darius.

Me judice, hoc unum est exemplorum in quibus Herodotus subtiliter quidem, sed idcirco credibilius quam in narratione plana, sententiam suam exponere amat; itaque credo, hoc in loco fidem de potestate absoluta demonstrat, quae ne legitimis impedimentis quidem retinebatur.

(β) *De nobilibus.*

Quanta dignitate civili fuerint nobiles difficillimum est dijudicare; neque, opinor, apparet aliquid causae credendi domos generosas ad concilium quodcunque convenisse. Forsitan id apud Herodotum (vii. 8) memoratum concilium ex nobilibus constitit, qui fixas praerogativas prae se ferebant; sed me judice nulla est causa hoc credendi. Ex contrario opinor auctoritatem nobilium nunquam definitam esse, sed eo tempore subito exortam, quo septem nobiles rebus novis creatis Pseudosmerdin trucidarent. Utrum rebellio septem principum eo modo revera acciderit, quo Herodotus narravit, an fabula sit, ab aliis (Niebuhr, Heeren, etc.) abunde agitatum est; mihi satis est Herodotum memorare, Otanis posteros solos in Persia liberos fuisse—*καὶ νῦν αὐτὴ*, inquit, *ἡ οἰκίη διατελέει μούνη ἐλευθέρα ἐοῦσα Περσέων, καὶ ἄρχεται τοσαῦτα, ὅσα αὐτὴ θέλει, νόμους οὐκ ὑπερβαίνουσα τοὺς Περσέων.* Stulti est dubitare, quin Herodotus bonam causam habuerit, cur his verbis uteretur.

Utrum haec religiosa an civilis rebellio fuerit, infra tractandum erit; satis est in praesens cognoscere, Herodoto judice civilem fuisse motum; non enim aliter Cambyses moriturus clamasset (iii. 65), *Καὶ δὴ ὑμῖν τάδε ἐπισκήπτω, θεοὺς βασιληΐους ἐπικαλέων, καὶ πᾶσιν ὑμῖν, καὶ μάλιστα Ἀχαιμενιδέων τοῖσι παρεοῦσι, μὴ περιϊδεῖν τὴν ἡγεμονίην αὖτις ἐς Μήδους περιελθοῦσαν.* Quare haec concludo; benedictionem et consecrationem Cambysis rationem reddere toti narrationi, quam aut ii, qui forsitan eam Herodoto referrent, aut auctor ipse fingerent, ut causam quamdam praerogativarum exponerent, quibus domus Otanis temporibus posteris frueretur. Documentum etiam huius dignitatis hinc concludo, quod Xerxes filiam Otanis Amestrida duxit.

Insuper jura quaedam, quibus nobiles conjuratores fruerentur, memorat Herodotus (1) *παριέναι ἐς τὰ βασιλήϊα πάντα τὸν βουλόμενον τῶν ἑπτὰ ἄνευ ἐσαγγελέος* (nisi rex cum uxore esset).

(2) *γαμέειν μὴ ἐξεῖναι ἄλλοθεν τῷ βασιλέϊ ἢ ἐκ τῶν συνεπαναστάντων.*

Quibus investigatis conjicio, genti nobilium conjuratorum

praerogativas quasdam exercere licuisse, quales non impedimentum verum potestati regis praestarent; sed quales efficerent, ut rex consilium nobilium neglegere non auderet neve feminam quamvis in statum reginae ducere.

(γ) *De concilio.*

Locus quasiclassicus de concilio est apud Herod. vii. 8: *Ξέρξης δὲ σύλλογον ἐπίκλητον Περσέων τῶν ἀρίστων ἐποιέετο, ἵνα γνώμας τε πύθηται σφέων καὶ αὐτὸς ἐν πᾶσι εἴπῃ τὰ θέλει.* Et insuper sub finem huius capitis dicit Xerxes: *Ἵνα δὲ μὴ ἰδιοβουλεύειν ὑμῖν δοκέω, τίθημι τὸ πρῆγμα ἐς μέσον, γνώμην κελεύων ὑμέων τὸν βουλόμενον ἀποφαίνεσθαι.* Quaerendum est igitur utrum ab his verbis concludamus concilium jure institutum a rege Persico convocatum esse, necne; et quantum auctoritatis exercuerit. Haud difficile est, opinor, de hac re recte arbitrari. Graeca verba sibi nihil velle possunt, me arbitro, nisi Xerxem, quum concilium consuleret, jus sibi reservasse, si concilii ratio displiceret, suam ipsius sequendi; ea tenus igitur voluntatem regis nihil impediebat. Opinor tamen nobis licere haec concludere: More Persico tale concilium convenisse quale regem intra fines ita retineret, ut non auderet consilium arrogans inire quod ad totam nationem pertineret. Conciliandi enim favorem popularem causa credo eum voluisse consiliis invidiosis abstinere.

Praeterea, ut partem solam quaestionis investigasse non videar, sententiae meae adversantibus hoc concedo, Herodotum (vii. 10) his verbis uti:

Σιωπώντων δὲ τῶν ἄλλων Περσέων καὶ οὐ τολμώντων γνώμην ἀποδείκνυσθαι ἀντίην τῇ προσκειμένῃ. Hoc autem nihil demonstrat nisi reverentiam solitam coram rege qui contrarium consilium plane exposuerat; insuper, nihil ex Herodoti verbis adduci potest ad arguendum majorem partem non belli avidam fuisse, et Xerxem non ad populare consilium inclinasse.

Ad hoc credendum inducor, quod commentatores animadvertisse non videntur, Xerxem apud concilium quoddam simile ante pugnam ad Salamina convocatum, quamquam consilium Artemisiae pro optimo haberet, constituisse salutem exercitus non periclitari pugna navali, tamen consilium maioris partis

accepisse, ὅμως δὲ (i. e. quamquam consilium Artemisiae anteferret) τοῖσι πλέοσι πείθεσθαι ἐκέλευε τάδε. Confiteor Herodotum causam quandam adducere, Xerxem credidisse pugnam navalem priorem prope Euboeam se absente non prospere evenisse, et idcirco alteram temptare cupiisse; negari tamen non potest eum suam ipsius voluntatem deposuisse, ut majoris partis sequeretur. Quare pro falso habeo opinionem Rawlinsonis concilium nullo modo regis arbitrium coercuisse.

(In verbis Herodoti (iii. 65) de Cambyse: μεταπεμψάμενος τῶν Περσέων τῶν παρεόντων τοὺς λογιμωτάτους, puto nos aliud exemplum huius usus, i. e. concilii convocandi, sub Cambyse ante Xerxis regnum invenire, etsi constet de bellicis rebus non convocatum esse.)

(δ) *De auctoritate Magorum.*

Sine dubio valebant Magi maxime apud regem, quippe qui sacra cuncta administrarent, et religioni toti praeessent; neque mihi necesse videtur hoc loco eorum auctoritatem exponere, qui infra (sub cap. iii.) de religione tam abunde deliberaturus sim.

II.

Deinde ad quaestionem pervenimus, num in Persiâ hereditati impedimenta fuerint.

In hac quaestione tractanda necesse est meminerimus Persas copiâ et pellicum et uxorum abundasse. Quare intellegere possumus (nam ita fere fit, quacumque mos talis invenitur) quot et quantae difficultates rixaeque de legitimo successu exoriri solitae sint et quanto minuerint absolutam potestatem, quam scimus accipere imperatoris domum lineâ atavorum infractâ. Difficultates plures hoc modo exoriebantur: (1) Uxores imperatoris per varios ordines et gradus disponebantur. (2) Quam primam imperator duxit, ea non necessario erat regina. (3) Imperator non cogebatur filium se regnante natum nominare qui sibi succederet; id est, imperium filio ante nato, quam pater imperio successit, transmitti poterat.

Ex quibus difficultatibus enascebantur duae consuetudines:

(1) Eum qui imperio succederet cum rege vivo associandi.

(2) Quemdam qui imperio succederet ante nominandi—

(quae consuetudo maxime ante expeditionem militarem valebat).

Si igitur has duas consuetudines apud Herodotum invenire possimus, sequetur ut concludamus eum haud nescire, difficultates supra memoratas, vel alias his similes, successionem rectam impediisse, quamquam de more hereditatis apud Persas minime dubitet (vide supra).

Ex Herodoti historiâ tres locos collegi in quibus hic mos relatus est vel ex quibus conjici potest.

Primum dicit (i. 92) de Croeso haec verba: *ἐπεί τε δὲ, δόντος τοῦ πατρὸς, ἐκράτησε τῆς ἀρχῆς ὁ Κροῖσος.* De his quaesitum est utrum Herodotus nominationem an associationem dicere velit; et commentatores maxime inter se differunt. Egomet tamen ab illâ parte sto, quae verba de nominatione interpretatur, (α) quod nullum alterum exemplum associationis per pristinam historiam Lydorum Persarumque exstat.

(β) Quod verbum idem *δόντος* ap. lib. i. 208 iteratur, ubi de significatione verbi nullum est dubium.

Secundum ap. lib. i. 208: Cambyses a Cyro patre ante nominatur (*Καμβύσῃ τῷ περ τὴν βασιληΐην ἐδίδου*) quam obviam Massagetibus it.

Tertium ap. lib. vii. 2: *ὡς δεῖ μιν ἀποδέξαντα βασιλέα κατὰ τὸν Περσέων νόμον οὕτω* (id est, postquam eum qui succedat nominaverit) *στρατεύεσθαι.* Hoc in loco altercatio de successionis jure plane exponit, quales et quot difficultates exoriri potuerint; nam constat Atossam reginam fuisse Darii, etsi non primam eam duxisset; prima autem uxor Gobryae filia fuit; unde sequebatur ut Artabazanes imperium peteret quippe qui filius primae uxoris esset, et Xerxes, quippe qui Atossâ reginâ natus esset. Quo in certamine satis intelligimus Xerxem vicisse, quod ex sanguine Cyri esset et Achaemenis progeniem plane proferret. *Ἐόντες δὲ μητρὸς οὐ τῆς αὐτῆς, ἐστασίαζον· ὁ μὲν Ἀρταβαζάνης, κατ᾽ ὅ τι πρεσβύτατός τε εἴη παντὸς τοῦ γόνου, καὶ ὅτι νομιζόμενα εἴη πρὸς πάντων ἀνθρώπων τὸν πρεσβύτατον τὴν ἀρχὴν ἔχειν· Ξέρξης δὲ, ὡς Ἀτόσσης τε παῖς εἴη, τῆς Κύρου θυγατρὸς, καὶ ὅτι Κῦρος εἴη ὁ κτησάμενος τοῖσι Πέρσῃσι τὴν ἐλευθερίην.*

Egomet, etsi confiteor me associationem apud Herodotum memoratam non posse invenire, pro verisimillimo habeo auctorem, qui Aegyptorum consuetudinibus valde studuisset, apud quos associatio imperii maxime valeret, hoc remedium difficultatis non ignorasse.

Denique credo me satis exposuisse, ut certissime concludam in Herodoti mente inhaesisse talis absolutae et tyrannicae potestatis imaginem, qualis in civitate Graeca non facta esset neque fieri posset. Ad hoc conatus sum responsum reddere roganti, quatenus nos, qui Herodoti verba investigaverimus, possimus affirmare imaginem veram esse, et praeterea quatenus auctor ipse imagini suae credidisse videatur.

CAPUT SECUNDUM.

IMPERII INFINITI CERTAMEN CUM LIBERTATE.

Duae primae fuerunt causae belli Persici.

(α) *Necessitas concedendi postulationibus civium*; rex enim Persarum non ausus est pati tantam nationum congeriem, quantam regebat, inertem manere.

(β) *Spes orbis terrarum subjiciendi.*

Quibus duabus causis, ut ex septimo libro Herodoti cognoscimus, impetum dedit tertia

(γ) *Ultio.*

Nemo est, opinor, quin concedat nullam nationem consilium imperii armis proferendi et subjiciendi multas nationes sub unum dominum exsequi et pacem domi simul sustinere posse, nisi incursibus frequentibus in hostes et perpetuo certamine populis variis placeat; tantum enim veri latet in proverbio illo Britannico, 'Satan finds some mischief still for idle hands to do.' Neque tamen haec sola causa est perpetui belli; nam satis constat tempore antiquo, quum artes civiles rudes essent et pars tantum orbis terrarum explorata, orientales gentes armis potius quam agrestibus instrumentis usos esse; armis solis potuisse favorem populi conciliari; armis commune studium et causam concordem potuisse dari imperio extra fines extenso.

Et bene notandum est praedam talibus incursionibus collectam tot militibus optimum praemium fuisse et stipendium.

Deinde ultimam causam, ultionem, minime negare volo; nam pro ultimâ causâ sine dubio eam habebat Herodotus, qui narrat accensam auctoritate in regiâ versantium et per exsules perfugasque ventilatam esse. (iii. 114.)

Nosne igitur possumus, primum, confirmare hanc causam, Persas in animo habuisse non solum magni imperii sed totius orbis potiri; secundum, concludere talem fuisse opinionem Herodoti?

Heeren (Ideen über den Verkehr, etc. der alten Welt) talia de belli eventu scripsit: 'Ein kleines Ländchen hatte den Kampf mit einem halben Welttheil bestanden; es hatte das Kostbarste gerettet was zu retten war, seine Freiheit, seine Selbstständigkeit.'—Quae imago, opinor, stat ut in mente impressa omnium quicunque bellum Persicum apud Herodotum legerint. Persae dimidium orbis subjecerant, neque contenti erant; spectemus et paulisper ad historiam et rerum gestarum memoriam, ut intelligamus quomodo haec imago infiniti imperii ab Herodoto confirmata sit.

Primum, quaerimus quid sibi velint haec verba 'imperium infinitum.' Tempore illo antiquo gentes et nationes neque finibus nec patria retinebantur; non erant autem fines ejus modi, sed tales soli, quales situs et natura loci imponebant. Enimvero opinio populum quemcumque jus habere quâdam certâ regione utendi et fruendi, posteriore aetate nata, in dies crescenti numero incolarum creata est. Contra, opiniones pristinae multo rudiores erant; quas in tria genera sepono.

(i) Prima erat notio *potestatis infinitae acquirendae.*

(ii) Posterior, *potestatis terris continentibus finitae.*

(iii) Novissima, *potestatis finibus nationum terminatae.*

Pro certo nobis habere licet Persas artem bellandi et consuetudinem imperium extendendi usu et experientiâ patrum didicisse. (α) Si ad *tempora antiquissima* spectamus, videmus Assyrios Babyloniae et Syriae dominos fuisse, et toti regioni superioris Asiae imperasse (i. 95) videmus; Gygem ab iis auxilium petiisse et reges Aegypti ab iis subjectos fuisse certiores facti sumus. (β) *Medi* quidem ita in imperio profecerunt ut rationem

terras subjectas regendi minus rudem et gradibus definitam (i. 134) exercuisse videantur, quam postea Persae in satrapiis creandis partim imitabantur. *ἐπὶ δὲ Μήδων ἀρχόντων, καὶ ἦρχε τὰ ἔθνεα ἀλλήλων. συναπάντων μὲν Μῆδοι, καὶ τῶν ἄγχιστα οἰκεόντων σφίσι.* (γ) Deinde *Persae* Medos imitati creandis rebus publicis ex singulis nationibus, rationem eandam adeo sequebantur, ut non ex singulis sed ex multis nationibus unam satrapiam formarent, quam tributis certis exactis cum imperio conjungerent, etsi interdum regibus stipendiariis potestatem non adimerent. Ex historia igitur rerum gestarum cognoscimus *finibus nationum* Persas non circumscriptos esse. Num concedendum est dominationem suae continentis Persis satisfecisse?

Scriptor clarissimus (Thirlwallus in historiâ Graeciae, vol. ii, p. 191) affirmat, 'Darius was not a conqueror like Cyrus or Cambyses; the ruling maxim of his government seems to have been to aim rather at consolidating and securing his empire than at enlarging it; and though he was engaged in wars almost throughout his whole reign, they all partook of a defensive character and were the result of prudence, necessity, and chance rather than of deliberate ambition;' et iterum de incursu in Scythos (loc. cit.): 'It seems that the object Darius had in view was not to conquer the country but to weaken and humble the people;' praeterea de Indis addit (loc. cit.): 'that though Darius seems to have sent Scylax on an exploring expedition, he does not seem to have had any settled idea of the conquest of that country.' Hanc opinionem Thirlwalli totam protuli, quia, si vera sit, meam de imperio infinito delebit. Multum tamen abest, quin vera sit. Non tamen negari potest Darium, si eum cum regibus prioribus conferamus, potius imperii ordinatorem quam amplificatorem videri; id quod non aliter accidere potuit, nam opus difficillimum ei traditum erat, imperium quod acceperat conservare. De qua re bene arbitratur ille doctissimus Niebuhr, 'Cyrus hatte erobert, Cambyses ein erobertes Reich hinzugefügt, Darius ordnete es zu einem Staate,' sed non idcirco credit eum contentum esse rebus ordinandis; contra affirmat eum, quanquam res ordinaret, victorem et potentiae cupidum fuisse,—'auch erweiterte er das Reich nach allen Seiten hin.'

Sed argumenta addere licet feliciora et graviora quam quae posteriores scriptores afferre possint, ut Thirlwalli theoriam refellamus; videlicet quae attulit Herodotus ipse.

Primum, de India inquit (iv. 44): Ἰνδούς τε κατεστρέψατο Δαρεῖος, καὶ τῇ θαλάσσῃ ταύτῃ ἐχρᾶτο: et addit, τῆς δὲ Ἀσίης τὰ πολλὰ ὑπὸ Δαρείου ἐξευρέθη. Praeterea documenta certa Indiae victae non consulto sed casu dat, quippe qui in mentionem trecentorum et sexaginta talentorum auri, paene tertiae partis vectigalium cunctorum, ab Indis traditorum, et auxiliarium ad exercitum regalem missorum incidat.

Deinde de Scythis narrat Darium expeditionem suscepisse, quod eos ob incursum in Medos centum ante annis factum ulcisci cuperet. Quod plane nihil est nisi exemplum doctrinae Herodoti de Nemesi; neque dubitat Thirlwallus ipse confiteri causam, quam Herodotus ascripserit, pro gloriae cupidine habendam esse. Quid concludat Niebuhr, haud incertum est; postquam enim praefatus est Darium fines imperii usque ad Carthaginienses in Africâ protulisse, et Thraces Macedoniosque in Europâ subjecisse, 'dann trachtete er danach,' inquit, 'auf der einen Seite alle Länder um das Schwarze Meer sich zu unterwerfen, und auf der anderen auch Griechenland mit seinem Reiche zu verbinden.'

Plane constat bellum Persicum non pro certamine inter duas magnas gentes ducendum esse, quia Persarum milites non ex unâ gente sed ex multis gentibus variisque terris convenerunt; neque pro bello inter duas continentes, quia, ut Cambyses Asiam reliquerat quo Africam vinceret, sic Darius etiam, quo per incursus in Scythas et Graecos Europam occidentesque gentes subjiceret. Immovero Herodotum penitus intellexisse ad quid arma Persarum spectarent, sine dubio demonstrabo, quum verba ex ejus libris expedierim.

Xerxes dicit Artabano (vii. 50): Ἡμεῖς τοίνυν, καταστρεψάμενοι πᾶσαν τὴν Εὐρώπην, νοστήσομεν ὀπίσω.

Xerxes tales ad solem preces fundit (vii. 54): Μηδεμίαν οἱ συντυχίην τοιαύτην γενέσθαι, ἥ μιν παύσει καταστρέψασθαι τὴν Εὐρώπην πρότερον ἢ ἐπὶ τέρμασι τοῖσι ἐκείνης γένηται.

Quibus verbis nihil planius esse potest, vel iis quae Xerxes in Graeciam discessurus clamat (vii. 8): Ἄνδρες Πέρσαι, οὔτ'

αὐτὸς κατηγήσομαι νόμον τόνδε ἐν ὑμῖν τιθεὶς, παραδεξάμενός τε αὐτῷ χρήσομαι. ὡς γὰρ ἐγὼ πυνθάνομαι τῶν πρεσβυτέρων, οὐδαμά κω ἠτρεμήσαμεν, ἐπεί τε παρελάβομεν τὴν ἡγεμονίην τήνδε παρὰ Μήδων, Κύρου κατελόντος Ἀστυάγεα· ἀλλὰ θεός τε οὕτω ἄγει, καὶ αὐτοῖσι ἡμῖν πολλὰ ἐπέπουσι συμφέρεται ἐπὶ τὸ ἄμεινον. Τὰ μὲν νῦν Κῦρός τε καὶ Καμβύσης πατήρ τε ἐμὸς Δαρεῖος κατεργάσαντο καὶ προσεκτήσαντο ἔθνεα, ἐπισταμένοισι εὖ οὐκ ἄν τις λέγοι. Ἐγὼ δὲ, ἐπεί τε παρέλαβον τὸν θρόνον, τοῦτο ἐφρόντιζον, ὅκως μὴ λείψομαι τῶν πρότερον γενομένων ἐν τιμῇ τῇδε, μηδὲ ἐλάσσω προσκτήσομαι δύναμιν Πέρσῃσι.

Quomodo haec spes imperii infiniti evenerit, bene scimus; bellum enim, quod principio Persae sperabant terras innumeras uni tyranno subjecturum esse, tandem duas continentes Asiam et Europam in aeternum divisit.

CAPUT TERTIUM.

RELIGIONIS NATURÂ ET ELEMENTIS EXSTRUCTAE CERTAMEN CUM POLYTHEISMO ANTHROPOMORPHICO (ἀνθρωποφυεῖ).

Initium faciamus rogando quantum ex antiquissimis fontibus cognoscere possimus. Quaeritur ergo

(*a*) Quid narret Herodotus ipse de religione Persicâ?

(*b*) Quid doceat Zend-Avesta?

(*c*) Quid explicaverit monumentum Bisutunense? Hae enim sunt tres auctoritates antiquissimae.

Deinde quaerendum erit quatenus fontes inter se differant, et quomodo recte explicandi sint. In qua quaestione tractandâ multos auctores et Graecos et Latinos tractare non audeo, ne libellus meus ultra omnes fines progrediatur; quorum vero theorias satis exponam, si theorias a recentibus ex antiquis illis scriptoribus compositas contempler; et inter hos argumenta Rawlinsonis penitus perscrutabor.

Extremum, quam omnibus prioribus examinatis pro rectâ explicatione habeam, eam planis verbis demonstrabo.

I. (*a*) *Quid narrat Herodotus ipse de religione Persicâ?*

Verba Herodoti melius est tractare sub duobus capitibus:

(1) Locos tractando in quibus religionem et cultum Persarum ex consulto narrat.

(2) In quibus religiones consuetudines et rationem obiter narrat vel breviter perstringit.

Ad rem sub primo capite memoratam est locus quasi classicus lib. i. 131, quem me oportet totum exscribere. Πέρσας δὲ οἶδα νόμοισι τοῖσδε χρεωμένους ἀγάλματα μὲν καὶ νηοὺς καὶ βωμοὺς οὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένους ἱδρύεσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖσι ποιεῦσι μωρίην ἐπιφέρουσι· ὡς μὲν ἐμοὶ δοκέειν, ὅτι οὐκ ἀνθρωποφυέας ἐνόμισαν τοὺς θεοὺς, κατάπερ οἱ Ἕλληνες, εἶναι. Οἱ δὲ νομίζουσι Διῒ μὲν, ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν οὐρέων ἀναβαίνοντες, θυσίας ἔρδειν, τὸν κύκλον πάντα τοῦ οὐρανοῦ Δία καλέοντας. Θύουσι δὲ ἡλίῳ τε καὶ σελήνῃ καὶ γῇ καὶ πυρὶ καὶ ὕδατι καὶ ἀνέμοισι. τούτοισι μὲν δὴ μούνοισι θύουσι ἀρχῆθεν· ἐπιμεμαθήκασι δὲ καὶ τῇ Οὐρανίῃ θύειν, παρά τε Ἀσσυρίων μαθόντες καὶ Ἀραβίων· καλέουσι δὲ Ἀσσύριοι τὴν Ἀφροδίτην, Μυλίττα· Ἀράβιοι δὲ, Ἀλίττα· Πέρσαι δὲ, Μίτραν.

Hoc in loco videtur Herodotus sententias suas de religione Persicâ accurate exposuisse; affirmat enim (*α*) Persas diis suis neque templa nec delubra, neque aras neque altaria ponere solitos esse; quinimmo insaniae arguisse eos qui hoc facerent. (*β*) Soli et lunae, terrae, igni, aquae, ventis sacrificasse, quos solos deos ait ex majoribus eos accepisse. (*γ*) Persas deos ex hominibus ortos esse non credidisse, neque humanâ formâ creasse. (*δ*) Deos externos aeque ac cultum externum assumpsisse.

Haec aperta et clara verba ducet honestus arbiter graviora mille narrationibus casu memoratis; neque, quod sciam, suggerere ausus est quicunque, Herodotum opinatum esse religionem ullam aliam fuisse quam purum elementorum cultum ab ἀνθρωποφυέσι θεοῖς omnino differentem. Narrat etiam (i. 140) rationem Magorum: οὐ πρότερον θάπτεται ἀνδρὸς Πέρσεω ὁ νέκυς, πρὶν ἂν ὑπ᾽ ὄρνιθος ἢ κυνὸς ἑλκυσθῆναι. Μάγοι γὰρ ἐμφανέως ταῦτα ποιεῦσι· et praeter ea κτείνουσι ὁμοίως μύρμηκάς τε καὶ ὄφεις καὶ τἄλλα ἑρπετὰ καὶ πετεινά.

(2) Sub capite secundo multa indicia religionis occurrunt.

Primum verba ex Herodoto collecta, quae pro gravibus habeo, servato temporis ordine exponam; nonnulla videntur fortasse nihil nisi narrationem rerum gestarum continere, quae tamen quam rem illuminent infra demonstrabo.

i. *Sub Cyro, Herod.* i. 86. Ὁ δὲ, συννήσας πυρὴν μεγάλην, ἀνεβίβασε ἐπ' αὐτὴν τὸν Κροῖσόν τε ἐν πέδῃσι δεδεμένον, καὶ δὶς ἑπτὰ Λυδῶν παρ' αὐτὸν παῖδας· ἐν νόῳ ἔχων εἴτε δὴ ἀκροθίνια ταῦτα καταγιεῖν θεῷ ὅτεῳ δὴ, εἴτε καὶ εὐχὴν ἐπιτελέσαι θέλων· εἴτε καὶ πυθόμενος τὸν Κροῖσον εἶναι θεοσεβέα, τοῦδε εἵνεκεν ἀνεβίβασε ἐπὶ τὴν πυρὴν, βουλόμενος εἰδέναι εἴ τις μὲν δαιμόνων ῥύσεται τοῦ μὴ ζῶντα κατακαυθῆναι.

Herod. i. 189. Κάρτα δὲ δὴ ἐχαλέπαινε τῷ ποταμῷ [Γύνδῃ] ὁ Κῦρος τοῦτο ὑβρίσαντι, καὶ οἱ ἐπηπείλησε, οὕτω δή μιν ἀσθενέα ποιήσειν ὥστε τοῦ λοιποῦ καὶ γυναῖκάς μιν εὐπετέως, τὸ γόνυ οὐ βρεχούσας διαβήσεσθαι.

ii. *Sub Cambyse, Herod.* iii. 16. Ἐκέλευσέ μιν (τὸν Ἀμάσιος νέκυν) ὁ Καμβύσης κατακαῦσαι, ἐντελλόμενος οὐκ ὅσια. Πέρσαι γὰρ θεὸν νομίζουσι εἶναι πῦρ· τὸ ὦν κατακαίειν γε τοὺς νεκροὺς οὐδαμῶς ἐν νόμῳ οὐδετέροισί ἐστι.

Herod. iii. 35. Δυώδεκα ἐπ' οὐδεμιῇ αἰτίῃ ἀξιόχρεῳ ἑλὼν, ζώοντας ἐπὶ κεφαλὴν κατώρυξε.

iii. *Sub Xerxe, Herod.* vii. 35. Ὡς δὲ ἐπύθετο Ξέρξης, δεινὰ ποιεύμενος, τὸν Ἑλλήσποντον ἐκέλευε τριακοσίας ἐπικέσθαι μάστιγι πληγὰς, καὶ κατεῖναι ἐς τὸ πέλαγος πεδέων ζεῦγος. ἤδη δὲ ἤκουσα ὡς καὶ στιγέας ἅμα τούτοισι ἀπέπεμψε στίξοντας τὸν Ἑλλήσποντον.

Herod. vii. 114. Περσικὸν δὲ τὸ ζώοντας κατορύσσειν· ἐπεὶ καὶ Ἄμηστριν, τὴν Ξέρξεω γυναῖκα, πυνθάνομαι γηράσασαν δὶς ἑπτὰ Περσέων παῖδας ἐόντων ἐπιφανέων ἀνδρῶν ὑπὲρ ἑωυτῆς τῷ ὑπὸ γῆν λεγομένῳ εἶναι θεῷ ἀντιχαρίζεσθαι κατορύσσουσαν.

Herod. vii. 113. Ἐς τὸν οἱ Μάγοι ἐκαλλιρέοντο σφάζοντες ἵππους λευκούς.

I. (*b*) *Quid explicat Zend-Avesta?*

Zend-Avesta (id est liber cum commentario [1]) est nobis auctoritas nativa; cujus de doctrinis primas modo lineas pingere conabor.

[1] Commentario Avestae nativâ linguâ nomen est Zend, unde fit titulus 'Zend-Avesta,' vel 'textum cum commentario.' Hodie exstat modo liber vicesimus primus, cui nomen 'Vendidad,' ex India a Gallo quodam Anguetillo de Perron traductus.

Medi Persaeque, antiqua Turania stirpe progeniti, primum antiquum cultum solis et elementorum secum in novas terras introduxerunt; qui mox (verisimillime per mutatas et infeliciores caeli condiciones) Dualismi speciem assumebant, in quâ duae regiones lucis et obscuritatis sepositae sunt, et utrique regioni suae propriae umbrae assignabantur. Haec est antiquissima Dualismi forma. Quae religio, si nobis religionis nomen huic cultui rudi dare liceat, auctore Zoroastre ordinata, in librum Avestam collecta est. Oromazus vel Oromasda exstat rex regionis superae et lucis, cum multitudine umbrarum subjectarum, et Arimanes, inferorum et obscuritatis deus, cum multitudine simili pravarum. Illum potentem Oromasdam fert fama Arimane victo in caelum se subduxisse; quo facto Arimanem terram umbris pravis beluisque immundis complevisse; ut Oromasda boves canes animaliaque sacra creavisset, sic Arimanem bestias rapaces serpentes animaliaque immunda; quamobrem ministrorum Oromasdae (vel principii recti) fuisse bellum aeternum cum ministris Arimanis (vel principii pravi) gerere; necnon et in naturâ munda vereri, immunda delere.

Haec sunt elementa, in pauca verba compressa, Dualismi Zend-Avestae. Sed infeliciter tantum potestatis in religione dilatandâ exercebant sacerdotes et vim tantam morum et rituum et commentariorum novorum addebant, ut corpora hominum pro animalibus sacrificarentur et religio pura in credulitatem servilem exiret.

I. (*c*) *Quid explicat monumentum Bisutunense?*

Haec inscriptio quae verisimillime a Dario in quinto anno sui regni confecta est maximi aestimanda est; quippe quae novum aspectum Persicae religionis afferat. Hic igitur eas partes inscriptionis quae ad hanc quaestionem proprie pertinent exponam. Eadem translatione quâ Rawlinson usus sum.

Col. § 14. 'Templa quae Gomates Magnus destruxit, restitui.'

Col. § 4. 'Deus mendacia creavit ut civitatem fallerent;' (vel ut Norris verba transfert) 'Deus mendaciorum effecit ut deficerent, ut imperium subverterent.'

Col. iv. §§ 12 & 13. 'Oromasda tulit mihi auxilium et alii, qui sunt, dii.'

Col. i. etc. Mentio crebra est dei Oromasdae in hac formula 'Per gratiam Oromasdae.'

II.

Tres antiquissimas auctoritates exposui de religione Persicâ, ex quibus tres formas religionis conjicere possumus. Credibile est,

(*a*) Religionem in elementis et naturâ niti.

(*b*) Religionem mixtam et ex ambabus prioribus compositam esse.

(*c*) Dualismum purum esse Oromasdae et Arimanis.

Quae tres formae rite prius discutiendae sunt, quam ex propositis aliquid certum concludere poterimus.

II. (*a*).

Primum, formam religionis naturalis memorabo, id est opinionem Herodoti; solus enim Herodotus opinatur eam puram elementariam (sit venia verbis) religionem esse; cujus quidem opinionem plurimi etiam hodie sine dubio haberent, nisi inscriptione Bisutunensi commentario uti possent. Supra exscripsi verba quibus auctor ipse utitur, quae tam plana et certa sunt ut Rawlinson inductus sit ut diceret, 'Throughout Herodotus we have not a single case of Dualism; we have not even any mention of Ormazd; the religion depicted is entirely and purely elemental, the worship of the sun and moon, of fire, earth, water and the winds of air.'

II. (*b*).

Secundum mihi commodius est quaestionem de mixtâ religione investigare, ut Dualismum a Rawlinsone suggestum ad postremum proferam, quo melius ejus argumenta singula perscruter et refutem. Sequitur igitur ut excutiam quae argumenta in hoc certamen verborum ferant ii, qui cultum Persarum religionem mixtam et ex elementis Dualismoque compositam esse contendant. Si tamen omnes qui de hac re scripserint tractem, libellum meum extra cancellos egressurum bene scio; ergo necesse est contentus sim explo-

rasse auctores recentiores, qui ipsi abunde perscrutati sint antiquos scriptores, e.g. Xenophontem, Ctesiam, Strabonem Plutarchum; quare tres delegi, qui, opinor, hanc quaestionem diligentissime investigaverunt.

i. *Brissonis* opera 'de regio Persarum principatu' anno domini nostri MDXCV edita sunt. Deos patrios Persarum ab importatis ex externis gentibus accurate distinxit. 'Prae ceteris vero,' inquit, 'quibus cultum impendebant, numinibus solum venerabantur;' quo de usu argumenta plurima ex Herodoto, Macrobio, Plutarcho et ceteris collegit.' 'Praeterea Persae,' addit, 'auctore Zoroastre Oromasdam necnon et inter laeva numina Arimanem colebant; . . . atque hi erant patrii Persarum dii.' Ex Herodoto haec verba excerpsit, *θεοὺς ἐπωνυμοὺς βασιληΐους* et ex libro tertio *ἐπισκήπτω δὴ ὑμῖν τάδε· θεοὺς βασιληΐους ἐπικαλέων.* Inde pergit mentionem facere cultus elementorum, ignis, aquae et cet.: et scrutari statum Magorum, quibus (ut Herodotus refert) jus solum sacrificandi erat. Postremum affirmat in his (quos memoravi) diis constitisse religionem Persicam.

ii. Anno MDCC edidit *Hyde* librum 'de historia religionis veterum Persarum;' in quo longo elaboratoque opere (quod DCL paginas continet) multitudinem quaestionum tractat quae nihil ad rem nostram pertinent; quibus etiam studiose perlectis confiteor me de illis rebus perplexum esse, quas explicare vult. Nos autem id solum attingit, quod religione funditus investigata concludit, Persas Oromasdam et Arimanem cum solis, ignis, aquae et caeterorum reverentia coluisse, quo modo Zoroaster jussisset; vel, ut aliis verbis utar, illam religionum mixturam observasse, quam Rawlinson rejecit.

iii. *Heerenus* in opere erudito 'Ideen über den Verkehr etc. der alten Welt' opinionem aliquantulum differentem exposuisse videtur; nam credit Magos, qui Medi essent, religionem Oromasdae professos esse; Zoroastrem, qui antiquiore aetate viveret, 'nicht den Stifter, sondern den Reformator der Meder' fuisse, Persas contra suos proprios *πατρῴους θεούς* habuisse; quas duas religiones in unam commixtas cultum factas esse ejus temporis, de quo certatum sit, 'Es entstand ein Gemisch von ihren früheren und neu angenommenen Lehren

und Gebräuchen . . . . Es kann daher auch nichts Befremdendes haben, wenn wir keine gänzliche Ubereinstimmung zwischen den Vorschriften des Zend-Avesta und den persischen Gewohnheiten finden; vielmehr ist es gerade ein Beweis für die Echtheit des ersten.'

Doctrina haec Magorum cum Persarum cultu commixta mihi videtur accurate ea continere, quae Herodotus narrat, videlicet honores suis ipsorum diis habitos cum privata illa religione quam Oromasda mandaverat, munda vereri, immunda rejicere et delere.

Has recentiorum opiniones, postquam Rawlinsonis theoriam exposui, perscrutabor.

II. (*c*).

Extremum, doctrinam Rawlinsonensem exponam, cultum nihil nisi purum Dualismum esse; cujus argumenta quippe qui hanc rem novissimus tractaverit, singula exponenda sunt.

Asseverat enim, primum, multa difficilia in vulgari opinione (quam supra memoravi) inesse; attamen non vult negare recentiore aetate imperii Persici mixtam ejus modi religionem increvisse; 'si autem aetatem antiquiorem exploremus,' ait, 'nos cultum inveniemus eo minus cum aliis confusam, quo longius in antiquitatem mentem referamus; apud Herodotum enim inveniri potest solus elementorum cultus, et in inscriptionibus cultus unius supremi dei vel fortasse dualismus quidam.' Deinde rogat utrum Ariani dualismum an elementorum cultum e terrâ longinquâ secum extulerint. Duas religionis formas affirmat omnino inter se differre; unde planum esse, ambas unâ florere non potuisse. Utra igitur, quaerit Rawlinson, erat antiqua prima religio Persarum? Elementismusne (sit venia verbis) fuit an dualismus? Religionem, quam Herodotus descripserit, respondet nihil esse nisi elementismum; inscriptionem autem Bisutunensem demonstrare, Oromasdam et forsitan dualismum (i. e. Oromasdam cum Arimane) a Persis cultum esse. Inde rogat: Si duae religiones una florere non possent, utrum floruerit elementismus an dualismus? Inscriptiones, respondet, ne unum quidem verbum de elementismo sed permulta de Oromasdae et forsitan

duorum deorum cultu dicere; quinimmo exodum Arianorum, sub primo capite Vendidadi memoratum, nihil de elementis continere sed multum de eventu veteris inter Oromasdam et Arimanem belli, id est de victoriis cladibusque Arianorum. Unde arguere vult cultum primorum Achaemenensium regum purum dualismum fuisse sine vestigio elementismi.

Haec duo argumenta exposita oportet eum cum Herodoti verbis ad concordiam adducere, et demum demonstrare fundamentum firmum esse. Quod quidem talem in modum facere conatur: cultum ab Herodoto narratum *Magismum* esse vel cultum longe remotâ aetate ab Scythis inductum. Nam tria genera fuisse, Semiticum, Indoeuropaeanum, et Scythicum vel Turanicum; quorum Semiticum cultum, e theismo Abrahami exortum, in idololatriam Phoeniciorum exiisse; Indoeuropaeanum cultum personalium deorum fuisse, a Magismo valde differentem; tertium igitur (quod solus supersit) necessario Magismum fuisse neque nos oportere oblivisci Zoroastrem Scythicum regem ab aliis fuisse dici; praeterea, rogat, quid natura verisimilius sit, quam Persas, qui externos imitari amarent, Scythicum cultum assumpsisse. Concludit denique Persas, quum occidentales nationes aggrederentur, ita Magismo affectos esse ut religio mixta oriretur. 'That the Magian religion was distinct from that of the early Persians,' inquit, 'is clear from the Behistun inscription, where we find that *a complete religious revolution* was accomplished by the Magian Pseudosmerdis, and that Darius on his accession had to build temples which had been demolished and re-establish a worship which had been put down.'

III.

Argumentis, quae scriptores de antiqua Persica religione obtulerunt, expositis, sequitur ut ego ex tribus formis, quae vera sit, concludere coner, et opinionem meam rationibus firmis ad probandum elaborem.

Non dubitandum est, quin Rawlinson inter omnes novissimos, qui hanc rem tractaverint, eluceat; mihi tamen profitendum est me eo animo esse, ut multa ex argumentis eius pro funditus falsis habeam. Si dixisset *auctorem ipsum*

opinatum esse religionem puram elementariam fuisse, forsitan recte arbitratus esset; sed, quippe cujus verba sint, '*There is no trace in Herodotus*' me oportet ejus errorem exponere,

(α) *in lib.* i. *cap.* 131, sunt haec verba, τὸν κύκλον πάντα τοῦ οὐρανοῦ Δία καλέοντας. Quid volunt sibi haec verba, nisi Jovem deum totius caeli esse; id est a Persis deum regnatorem totius caeli nomine tali appellatum esse, quale Herodotus Δία Graece reddiderit? Non dubitari potest quin hic deus Oromasda sit, qui (ut Zendavesta refert) totam regionem caeli regat.

(β) *in lib.* vii. *cap.* 114, τῷ ὑπὸ γῆν λεγομένῳ εἶναι θεῷ. Quis est deus hic infernus nisi Arimanes pravitatis pater, in Zendavesta memoratus? Si quidem ea, quae Rawlinson, putemus, Herodotum loco Graeci cujusdam dixisse (quod minime verisimile est), tamen adnotationem ipsam Rawlinsonis, 'Is this Ahriman, or does Herodotus speak as a Greek?' satis demonstrat eum pro incerto habere quid verba sibi velint.

(γ) Excerptiones supra collectae (p. 20) sine dubio arguunt cultum elementorum purum manere non potuisse, si reges Cyrus Cambyses Xerxes tam parvi elementa ipsa aestimarent, ut corpora humana *igni* subjicerent (i. 86), *aquam* verberibus lacerarent (vii. 35) et terram vivâ hominum carne (vii. 114) foedarent!

Verisimillimum est Herodotum pro certo habuisse, Persas solitos esse pura elementa colere. Sed, ut nobis regimen Persici imperii contemplantibus apparebat, auctorem modos varios potestati regis plane memorasse, etsi ipse pro immoderata haberet, sic, opinor, credidit religionem purum elementorum cultum fuisse, quamquam in rebus a Persis gestis narrandis interdum induceretur ad consuetudines alias describendas, quas non tanti aestimaret.

Elementismo igitur rejecto supersunt duae formae, de quibus nos oportet satis disserere, mixta religio et dualismus purus. Neque dubito quin argumentis meis ad finem expromptis meam sententiam confirmaverim, illam formam veram esse, hanc falsam; et Rawlinsonem, quanquam Herodoti verba plerumque illuminaverit, de Persarum religione minus sapienter quam commentatores alios dijudicavisse.

Primum, duas rationes (quae supra perstrinxi) singulas disseram, quo modo falsae videantur, exponens, deinde conabor argumentis affirmativis demonstrare mixtam religionem apud Persas valuisse. Rawlinson (ut memoravimus) arguit,

(1) duas inter se differentes religiones una florere non potuisse.

(2) harum verisimiliorem esse dualismum.

(3) hanc cum Herodoti opinione consentire; *Magos enim Scythas, non Medos, fuisse, neque rebellionem Pseudosmerdios rebus civilibus sed religione motam esse.*

Primo et secundo argumento haec respondeo:

(α) Liber ipse Zend Avesta, quem Rawlinson opinatur puri dualismi ritus continere, multos alios deos iis permisit. Persas enim solem sub nomine Mithrae deum coluisse constat, ex quo satis apparet religionem alios deos non exclusisse; contra intelligo eam varios continuisse. In tumulo Darii stat non solum Oromasdae sed etiam orbis Solis vel Mithrae imago. Praeterea in inscriptione Bisutunensi (col. iv, §§ 12, 13) stant haec verba, 'Oromasda tulit mihi auxilium et alii, qui sunt, dii.' Zend Avesta igitur illum ipsum Polytheismum patitur quem Rawlinson putat puro dualismo et cultui Oromasdae adversari.

(β) Apud Zend Avestam dicitur Arimanes *haeresim* mortuos cremandi induxisse. Sed quid sibi vult nomen haeresis? profecto, mortuos cremando sanctitatem ignis et terrae minuebant.

Oromasdae igitur religio cultum elementorum minime vetabat.

(γ) Herodotus (i. 140) narrat: *Οἱ δὲ δὴ Μάγοι αὐτοχειρίῃ πάντα, πλὴν κυνὸς καὶ ἀνθρώπου, κτείνουσι· καὶ ἀγώνισμα μέγα τοῦτο ποιεῦνται, κτείνοντες ὁμοίως μύρμηκάς τε καὶ ὄφεις καὶ τἄλλα ἑρπετὰ καὶ πετεινά.* Hoc explanat Zend Avesta; nam hic narratur canem Oromasdae sacrum esse; quare videmus Magos loco sacerdotum Oromasdae hoc egisse.

Ita demonstravimus religionem Oromasdae Polytheismo, cultui elementorum, reverentiae mundorum animalium haud adversari; et duos cultus ne apud Zendavestam quidem inter se contrarios esse.

Nunc tertium argumentum, quod aedificii ita constructi fundamentum est, perscrutari incipiam, quod Rawlinson pro firmo habet sed quod meo sensu corruere videtur. Hoc argumentum vel fundamentum duas in partes melius est seponere: (i) Magos Scythas, non Medos, fuisse, (ii) rebellionem Pseudosmerdios religiosam fuisse.

(i) Magi quidem a Scythis originem non duxerunt. Duo populi, Ariani et Turanii, olim Mediam habitabant, quorum satis constat Persas Arianorum sanguine fuisse. Quaeritur ergo, num Turanii (quos Rawlinson Scythas appellat) religionem Magorum induxerint. Non potuit fieri; nam Magis tanta dignitas apud Persas assignata est, quanta non tradita esset, si externo sanguine fuissent. De qua dignitate locum ex Agathiâ (lib. ii.) excerpam, qui statui Magorum bene studuerat. 'Persas summâ observantiâ et veneratione Magos suos coluisse,' inquit, 'eorum consilio ac vaticiniis omnia publica negotia gesta; de consilii eorum sententiâ bene de republicâ meritis praemia decreta; nocentibus contra poenas irrogatas.' Num verisimile est Persas tot et tanta officia peregrinis committere voluisse? Nomen ipsum quidem Magus basem *Mag* habet quae Magnum indicat. Haec argumenta addere possumus illis antiquioribus, ob quae omnes alii scriptores Magos pro Medis habuerunt.

(ii) Quae religiosa rebellio Pseudosmerdios a Rawlinsone appellata est, reverâ non religione impulsa est; quare asseveratio ejus, 'Magism *now* overthrew the Persian religion, and therefore was of later date and not part of the original religion brought from beyond the Oxus,' inanis et vana videtur. Abunde a scriptoribus disceptatum est utrum religione an rebus civilibus rebellio mota sit; ab iis tamen, qui rebellionem pro civili habent, invenitur quisque in Germaniâ et Britanniâ clarissimus; quinimmo Herodotum id opinatum esse confitetur Rawlinson ipse (tom. ii. p. 549). Ex his auctoribus modo gravissima verba excerpam, ut differentia opinionum inter se appareat.

In libro Herodoti iii. cap. 65 Cambyses moriturus in concilio clamat: *καὶ πᾶσιν ὑμῖν καὶ μάλιστα Ἀχαιμενιδέων τοῖσι παρεοῦσι, μὴ περιϊδεῖν τὴν ἡγεμονίην αὖτις ἐς τοὺς Μήδους περιελθοῦσαν* (*ἐπισκήπτω*).

In libro iii. *cap.* 73 dicit Gobryes, ὅτε γε ἀρχόμεθα μὲν, ἐοντες Πέρσαι, ὑπὸ Μήδου ἀνδρὸς Μάγου, καὶ τούτου ὦτα οὐκ ἔχοντος.

In lib. iii. *cap.* 126. Μετὰ γὰρ τὸν Καμβύσεω θάνατον καὶ τῶν Μάγων τὴν βασιληΐην, μένων ἐν τῇσι Σάρδισι Ὀροίτης, ὠφέλει μὲν οὐδὲν Πέρσας, ὑπὸ Μήδων ἀπαραιρημένους τὴν ἀρχήν.

Nullum est dubium quin haec verba certa et apta ad persuadendum sint; quare non mirum est, si Herodotus quid fidei mereatur, recentes ejus sententiam accepisse.

Heeren[1] (Ideen i. 64) sententiam paucis verbis profitetur: in principio rebellionem naturâ religiosam visam esse, quod Medus qui regnum occupavisset sacerdos esset; se autem nolle dubitare de sententiâ eorum, quibus maxime credendum sit, spem rebellionis fuisse 'die Wiederherstellung der medischen Herrschaft.' Magos affirmat, Medicâ origine natos neque ignaros Cambyse mortuo directam lineam gentis Cyri finitum iri, occasionem tam egregiam novae domus in regno statuendae amittere noluisse.

Niebuhr, Herodotum minus accurate sequens, res novas temptatas esse credit ut non solum alia domus sed etiam aliena gens regnum caperet. 'Si sententiam Herodoti accipiamus, inquit, forsitan putabimus modo domum mutatam esse, id est regem Medicum sub nomine Persarum regnasse. Hic tamen constat (p. 157) res alias esse.' 'Es war eine wahre politische Revolution nicht blos in der Dynastie sondern im Regiment, wodurch die Herrschaft von den Persern an die Meder und unter diesen wieder an die Magier gekommen war.'

Grotus etiam, cujus auctoritas, etsi multa praejudicata affert,

[1] Adnotatio a Rawlinsone scripta (tom. ii. p. 551, 552) de verbis Heereni minime juste facta est. Primo in loco haec verba excerpsit, 'by the express evidence of the most credible authorities,' quibus suum commentarium hunc in modum addidit: 'He refers in a note to Plato (!) and Herodotus.' Ergo non vult concedere, illis auctoribus credendum esse. Quibus igitur credit Rawlinson ipse? Scilicet *poetae* Graeco (Aeschylo), qui in uno versu Mardum ut αἰσχύνην πάτρᾳ memorat, et Ctesiae, de quo Rawlinson nihil melius dicere potuit quam *verba non adesse* 'Pseudosmerdis fuit Medus;'—non autem affirmavit Ctesiam id negare! Iterum scribit: 'Heeren more briefly lays it down, "The Magi, as we have observed, were a Median race;"' sequitur ut aut non legerit aut neglexerit posteriora ejus verba, 'Ein eigener Stamm der Meder werden sie ausdrücklich von Herodot erwähnt,' in quibus causa opinionis declarata est, Herodoti sententiam tam firmam et certam esse ut ei credere velit.

sine dubio inter Britannos plurimum valet, talia judicavit (vol. iii.); 'Smerdis represents preponderance to the Medes over the Persians, and comparative degradation to the latter, who by the installation of Darius are again placed in the ascendant. The Medes and Magians are in this case identical.'

Rawlinsonem igitur apparet, quum nitatur ut rebellionis causam religionem fuisse arguat, ab plurimis prioribus scriptoribus dissentire; et idcirco argumenta ejus studiose excogitata et elaborata sunt. Initium facit asseverando priores ipsos scriptores concedere sententiam Herodoti, quoad certa sit, obiter dictam neque umquam plane affirmatam esse. Niebuhri verba adducit, qui opinatur apud Herodotum religiosam aeque ac civilem causam valere, neque veram causam (res publicas novandi) satis ab eo expositam esse, quippe qui Smerdin *Medicum Magum* appellet. Quinimmo et verba Groti affert: 'Our attention is in Herodotus distracted from the political bearing of what is going on; which we are compelled often to gather up from hints in the speeches of performers or from consequences indirectly noticed.' Ego autem nescio quid proficiant illae asseverationes; nam Rawlinson ipse id concedit (quod exempla supra memorata manifeste demonstrant): 'The expressions are strong, and the (political) idea existed in his (Herodotus') mind.'

In fundamentis hujus theoriae oppugnandis, Magos Medos esse, non solum recentiores sed etiam Herodotum ipsum in toto oppugnavit. Jam supra vidimus corruere ejus opinionem, Magos esse Scythas; quamobrem sequitur ut secundam argumentorum partem de causa religiosa perscruter. Haec duobus modis elaboravit:

(*a*) per tenorem historiae antiquae.

(*b*) per inscriptiones.

De tenore historiae antiquae affirmat

(*a*) *Narrationem rerum gestarum* apud Herodotum cum *opinione* ejus non concinere; non enim eum nos certiores facere Pseudosmerdin, exempli gratiâ, Medis maxime favisse; neque Egbatanam pro Susâ caput imperii factam esse; neque legatos et procuratores Persicos revocatos; et caetera talia. Cui respondeo sine dubio causas permultas fuisse cur rex Medus suae

genti favere *extemplo* non inciperet. Contra, quaero, Num verisimile sit novum regem partem majorem suorum, videlicet Persas, irritare voluisse; an fingi possit eum Oroetis aut Hystaspis magistratum abrogare cupiisse, quos auxilio forsitan mox vocaturus fuerit? Certum est, confiteor, non omnes Medos sed Magos solos poenas dedisse; sed verisimillimum est Darium noluisse initium regni sui sic communi clade infauste signare. Non dubitandum est Magophoniam esse gravissimum argumentum ad Rawlinsonis sententiam; haec clades tamen arguit modo id, quod Darius maxime a Gomate et a conspiratoribus poenas petiit, quippe qui sacerdotes essent et antea pro fidissimis haberentur; non arguit Magophonia rebellionem non in primis civilem fuisse. Nam non necesse est nos cum Niebuhro ad ultima prodeamus.

(β) Scriptorum aliorum, Aeschyli et Ctesiae, opinionem *forsitan* aliam fuisse. Opinionem tamen Aeschyli Rawlinson ex his solis verbis extrahit (Persae, 780, 1) 'Πεμπτὸς δὲ Μάρδος ἦρξεν, αἰσχύνη πάτρᾳ θρόνοισί τ' ἀρχαίοισι,' poetae cujusdam obiter dicta definitae sententiae historici noti anteponens. Vix necesse est de Ctesiae verbis mentionem faciam, quum verba Rawlinsonis sint 'Gomates is *never said* by Ctesias to have been a Mede (cp. p. 29); nam quid valet tale negativum argumentum coram planis verbis Herodoti? Itaque, opinor, narratio veteris historiae sententiam Herodoti nihil destruit.

(*b*) De Inscriptionibus, id est de inscriptione Bisutunensi, Rawlinson eadem iterat. 'Gomates is never said to have been a Mede.' Nonne credendum est Darium faciendâ inscriptione, quae praecipue divina foret, (vide enim formulam saepe iteratam 'By the grace of Ormazd') hoc maxime signare voluisse, res novas *a sacerdote* temptatas esse.' Primo aspectu excerptiones quaedam ex inscriptione Rawlinsoni favere videntur, 'The whole state went over to Gomates, both Persia and Media and the other provinces,' et, 'neither Persian nor Median could dispossess the Magian of the crown.' Me tamen arbitro, non volunt sibi haec verba, Persas illius rebellionis supra omnes participes fuisse (sic enim Rawlinson interpretatur), sed potius admirationem Darii exponunt, quod Persae

non omnino rebus novis abstinuissent. Sic enim ego inscriptionem diligentissime exploratam interpretor.

In duabus quidem exceptionibus (cf. Rawl. ii. 553) maxime nititur ejus sententia, rebellionem religione motam esse.

(I) Col. i. § 10. 'Tum mendacium in terra abundabat.' Mendacium hoc in loco habet Rawlinson pro 'haeresi,' ita ut inscriptio sibi velit, 'haeresis Magorum perpetuo crescebat.' Interpretatio tamen haec est longe repetita et contra naturam verborum; multo verisimilius stat mendacium pro 'dissimilatione,' et nihil nisi fallaciam et imposturam significat.

(II) Col. i. § 14. 'Templa quae Magus destruxit, ego restitui.' Quae hunc in modum interpretatur Rawlinson: 'The Arian religion was restored; the temples were rebuilt.' Itaque ipse concludit duplicem religionem, Magismum vel cultum sine templis et Oromasdismum vel cultum in templis, valuisse. Quibus respondeo me scilicet nescire, quo genere fuerint templa in inscriptione memorata; bene tamen scio non talia fuisse, qualia Graeci *ναούς* appellare solerent; Persas enim templis *χειροποιήτοις* non usos esse. Non aedificabantur sedes deorum, sicut apud Graecos mos erat, nam Persae idololatriam detestabantur; quinimmo quoties res publicae non vetarent, simulacra studiose evertebant, id quod e rebus gestis (illâ optima auctoritate) apparet. Sequitur ut verbum 'templum' falsum sit. Praeterea nullae templorum ruinae recenti tempore inventae sunt. Rawlinson quidem credit templum quoddam inter ruinas Persepolios detectum esse; nihil tamen est nisi turris; neque nobis permittitur turrim pro templo habere;—immo vero, si templum revera sit, de perfecta religione ex uno solo exemplo minime decernendum est. Nonne enim credi potest, reges Persicos, externas religiones cum templis suis prudentes tolerasse et conservasse, quum Magi, rebus civilibus non sollicitati, niterentur ut ea vel maxime delerent.

Concludimus igitur rebellionem Pseudosmerdios simul civilem et religiosam fuisse; non omnino religione motam esse, satis demonstratum est. Neque tamen usque ad sententiam Niebuhri nobis eundum est, qui res novas in Persia

perfectas esse affirmat; sed cujus sententiam inscriptio Bisutuni inventa falsam esse demonstravit. Recte enim concludunt ii, qui rebellionem pro magno civili motu Medorum contra Persas sub specie quadam religiosa habeant; qui asseverent multo magis civilem quam religiosam fuisse, sed quippe cujus auctor Smerdis sacerdos esset, speciem religionis induisse. Haec enim me judice est quaestionis enodatio: studium politicum apud Persas in omnibus rebus publice gestis magis quam studium religionis valuisse; quomodo cognoverimus gentem politicam, Pasargadas, rei publicae praefuisse, quomodo etiam didicerimus per seriem totam bellorum Persas externas religiones haud aegre tulisse pacis per totum imperium conservandae causâ, etsi, quoties utilitas (e. g. in bello contra Graecos) beneficia non postularet, odio delubrorum et idololatriae frenos darent,—eodem modo in rebellione Pseudosmerdios nobis concludere licere, causam politicam potius quam causam religiosam bellum intestinum instigasse.

Itaque in argumentis aeque atque in fundamentis theoriae Rawlinsonis investigandis sententias crebro invenimus, quae non modo non verisimiles sed etiam falsae appareant.

Ex his propositis igitur sequitur conclusio inevitabilis, cultum elementorum apud Persas (quem ego elementismum nominavi) et Oromasdae religionem minime inter se repugnavisse; Herodoti verba inscriptioni Bisutunensi accommodari posse, si ad narrationem totam neque ad exiguam Persicarum consuetudinum mentionem spectemus; purum dualismum numquam valuisse; in rebellione Pseudosmerdios, quam nonnulli religione motam esse credant, religiosam civili causae posthabendam esse; contra Elementismi, Oromasdae, Magorum religiones apud Persas antiquissimis aetatibus, de quibus historiam acceperimus, unâ conjunctas et arte consociatas floruisse.

Reverâ et in principio et in fine fuit Persica religio Graecae similis, etsi in medio cursu, videlicet tempore magnorum in Graeciam incursuum, longe inter se differebant. Origo enim ambarum videtur veneratio naturae fuisse, et ambarum finis cultus multorum deorum (polytheismus) evenisse. Graecis

quidem fuit propria inclinatio, primum, ad vitam sensumque rei inanimae tribuendum et personam fingendam, id quod ipsi *προσωποποιΐαν* appellabant, deinde ad proprietates Dei personae ita conceptae assignandas. Apollo, exempli gratiâ, etsi Sol erat, persona et deus fingebatur, cui forma hominis cum omni qui ad Graecam religionem pertinebat apparatu, *ἀγάλμασι*, *ναοῖς*, *βωμοῖς*, attribuebatur. Tales autem dii potius regnatores quam creatores naturae concipiebantur; quod quidem quam contrarium fuerit notioni Persarum, exposuit Herodotus (i. 131). Deos suos, inquit, non sinebant Persae naturae hominis participes vel *ἀνθρωποφύεις* esse, sed insaniae arguebant eos qui aras templa delubra et caetera iis statuebant (*τοῖσι ποιεῦσι μωρίην ἐπιφέρουσι*). Qua in re apparet apud Persas magna ad *εἰκονομαχίαν* proclivitas.

Medio tamen in cursu differebant maxime inter se religiones. Graeci enim mox philosophari coeperant; orbem causâ boni creatum esse affirmabant; deum quemdam regnatorem et creatorem fuisse mundi, sed unâ cum aliis regnantibus diis. Hactenus philosophiâ utebantur etiam Persae; ergo tantum abest ut cultus Oromasdae Magis antiquior sit, ut reverâ per philosophiam creverit. Inde autem in duas partes coeptum est findi; ita ut eosdem deos, quos Graeci venerarentur, Persae evertere amarent; quod in appendice amplius explicui. Hinc apparet vulgarem opinionem falsam esse, creatorem (vel causam boni) et Polytheismum inter se repugnare; nam Persae et Graeci finxerunt pariter creatorem et causam boni; hi tamen *ἀνθρωπομορφίαν* inducebant, quum illis simulacra odio essent. Itaque in hoc maxime differunt Persae ab sequentibus religionem Christi, quod Oromasda *maximus* deorum non *solus deus* erat.

TERTII CAPITIS APPENDIX.

Ut variae condiciones Persicae religionis planius appareant, appendicem addere constitui, in quâ ex Herodoti verbis demonstrare conabor, quomodo Persae religiones externarum gentium tractaverint.

Quantum quidem ex rebus gestis concludere possumus, tolerantia et intolerantia, indulgentia et severitas mirandum in modum a variis regibus exhibebantur.

Cyrus quidem vel maxime externis religionibus indulsit. Paci enim civili maxime studebat, ut fundamentum magni imperii firmaret et in varias nationes sine tumultu dominaretur. Bene intellexit, si religioni indulgeret, se populum quemque vel maxime conciliaturum fore. Hanc ob causam necesse est putemus eum Babylonensibus cultum Beli permisisse, et ob eandem verisimile est cultui Judaeorum favisse, forsitan autem crediderit Jehovam unum et eundem esse quem Oromasdam.

Sub *Cambyse* externae religiones longe aliter tractabantur. Ille enim non indulgentia sed severitate insanâ usus est, quam nonnullae ex Herodoto excerptiones arguunt.

Herod. iii. 29. *Ὡς δὲ ἤγαγον τὸν Ἆπιν οἱ ἱρέες, ὁ Καμβύσης, σπασάμενος τὸ ἐγχειρίδιον, θέλων τύψαι τὴν γαστέρα τοῦ Ἄπιος, παίει τὸν μηρόν· γελάσας δὲ, εἶπε πρὸς τοὺς ἱρέας, κ.τ.λ.* Ita crudeliter deos maximos Aegyptorum negligebat.

Herod. iii. 37. *Ἐς δὲ δὴ καὶ τοῦ Ἡφαίστου τὸ ἱρὸν ἦλθε, καὶ πολλὰ τῷ ἀγάλματι κατεγέλασε*: et infra, *ταῦτα δὲ τὰ ἀγάλματα καὶ ἐνέπρησε, πολλὰ κατασκώψας.*

Darium cognoscimus minime usum esse severitate tam barbarâ quam Cambysem, sed potius duplicem in modum se gessisse. Verisimile videtur eum naturâ benevolentem fuisse, (quod ex ejus erga Judaeos beneficiis concludere nobis licet,) sed adversus Graecos novâ causâ odii, videlicet ultione, motum esse (cf. Herod. vii. 1, *Καὶ πρὶν μεγάλως κεχαραγμένον τοῖσι Ἀθηναίοισι διὰ τὴν ἐς Σάρδις ἐσβολήν,*) quam satellites in regiâ augebant—vide Herodotum iii. 44, quo in loco Atossa cum Democede eum impulisse narratur ut Graecis bellum inferret. Talis quidem severitatis exempla apud Herodotum abunde sparsa invenire possumus.

Herod. v. 102. *Τὸ σκηπτόμενοι οἱ Πέρσαι, ὕστερον ἀντενεπίμπρασαν τὰ ἐν Ἕλλησι ἱρά.*

Herod. vi. 96. *Οἱ Νάξιοι πρὸς τὰ οὔρεα οἴχοντο . . . οἱ δὲ Πέρσαι ἐνέπρησαν καὶ τὰ ἱρὰ καὶ τὴν πόλιν,* sub Date imperatore Persico. Indulgentiae autem exempla non desunt:

Herod. vi. 25. Καὶ Σαμίοισι . . . οὔτε ἡ πόλις, οὔτε τὰ ἱρὰ ἐνεπρήσθη. Praeterea idem Datis, qui templum Naxi everterat, Apollini et Artemidi in insulâ Delo consuluisse dicitur.

Herod. vi. 97. Καί μοι ἐκ βασιλέος ὧδε ἐπέσταλται· ἐν ῇ χώρῃ οἱ δύω θεοὶ ἐγένοντο, ταύτην μηδὲν σίνεσθαι. Forsitan hic voluerunt Persae (ut Rawlinson bene interpretatus est) diis honorem reddere, quibus easdem proprietates Graeci ascribebant, quas Persae solebant Soli et Lunae maximâ cum veneratione attribuere.

Deinde *Xerxe* regnante major erat indulgentia hanc ob causam, quod rebus politicis melius consulebat.

Herod. vii. 43 memorat [ὁ δὲ Ξέρξης] θεησάμενος, τῇ Ἀθηναίῃ τῇ Ἰλιάδι ἔθυσε βοῦς χιλίας· χοὰς δὲ οἱ μάγοι τοῖσι ἥρωσι ἐχέαντο.

Herod. vii. 191. Magos Graecis diis aeque ac suis sacra fecisse dicuntur; καὶ καταείδοντες γόησι τῷ ἀνέμῳ οἱ Μάγοι, πρός τε τούτοισι καὶ τῇ Θέτι καὶ τῇσι Νηρηΐσι θύοντες, κ.τ.λ.

Herod. vii. 197 invenimus haec verba, Ξέρξης δὲ ταῦτα (τὰ περὶ τὸ ἱρὸν τοῦ Λαφυστίου Διὸς) ἀκούσας, ὡς κατὰ τὸ ἄλσος ἐγένετο, αὐτός τε ἔργετο αὐτοῦ, καὶ τῇ στρατιῇ πάσῃ παρήγγειλε.

Herod. viii. 133. Non deerat Mardonii observantia Graecis oraculis; et *apud* ix. 37 idem Graecis vatibus usus esse dicitur. Καὶ γὰρ οὗτος Ἑλληνικοῖσι ἱροῖσι ἐχρέετο, μάντιν ἔχων Ἡγησίστρατον, ἄνδρα Ἠλεῖόν τε καὶ τῶν Τελλιαδέων ἐόντα λογιμώτατον.

Attamen sub Xerxe rege satis constat severitatem solitam in delubra simulacra templa Graecorum exercitam esse, quod quidem responsum ab Atheniensibus Alexandro redditum testatur. Νῦν δὲ ἀπάγγελλε Μαρδονίῳ, ὡς Ἀθηναῖοι λέγουσι, μή κοτε ὁμολογήσειν ἡμέας Ξέρξῃ· ἀλλὰ θεοῖς τε συμμάχοισι πίσυνοί μιν ἐπέξιμεν καὶ τοῖσι ἥρωσι ἀμυνόμενοι· τῶν ἐκεῖνος οὐδεμίαν ὄπιν ἔχων, ἐνέπρησε τούς τε οἴκους καὶ τὰ ἀγάλματα. (viii. 143.)